



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Theologica, Ad Mentem S. P. Avgvstini, De  
Radice Intolerabilivm, scandalosarum, & in praxi  
perniciosarum propositionum, à summis Pontificibus  
Alexandro VII, & Innocentio XI. damnatarum**

**Schweitzer, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1679**

Et præviis probationibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38917**

resp. moral. c. 1. testantur, antiquos Theologos istius fuisse sententiæ, quod semper vincibilis esset Juris sive Legis naturalis ignorantia. Operæ pretium erit, examinare, & intelligere, quid senserit in hac materiâ præcipuus Ecclesiæ Doctor, quem utraqûe pars conatur trahere in suam sententiam, S. P. Augustinus.

Respondeo & dico: Secundum S. Augustinum non datur ignorantia invincibilis juris sive legis naturalis, in homine usu rationis pollente. Probatum primò, quia ignorantia voluntaria, sive quæ humanâ industriâ per Dei gratiam omnibus paratam adjuta superari potest, non est invincibilis; sed talis, secundum S. Augustinum, est omnis ignorantia juris naturalis: ergo. Major patet ex dictis §. 1. Minor probatur: quia si homo se ad alia cognoscenda, & amanda non applicet, potest juxta hoc generale juris naturalis præceptum; *quod tibi non vis fieri, ne facias alteri*, omnibus impressum, & notum, formare dictamen practicum; procedere absque errore, & amare justitiæ pulchritudinem, in omni particulari operabili, in materiâ juris naturalis, sicque vitare peccata contra legem naturæ. Audiantur verba S. Doctoris in psal. 118. Conc. 25. *Nullus est, qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri sibi nolit, & in hoc transgreditur naturæ legem quam non sinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati.* Et in psalm. 57. *Quandoquidem manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris Veritas scripsit: quod tibi non vis fieri, non facias alteri, hoc &*  
ante-

antequam lex daretur, NEMO IGNORARE PERMISSUS EST, UT ESSET, UNDE JUDICARENTUR, & quibus lex non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est in Tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim & scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur, quasi forinsecus admotâ voce Dei ad interiora sua homo compulsus est; --- sed quia homines appetentes ea, quæ foris sunt, à seipsis exules facti sunt: data est etiam conscripta lex, non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo, qui ubique est, comprehenderis, & ad te ipsum intro revocaris. Et in ps. 129. Peccator enim oblitus erat se, nec videbat se, data est illi lex, ut videret se. Ex his S. Patris testimoniis satis colligitur, legem naturalem ita in cordibus hominum à formatore Deo scriptam esse, ut licet à concupiscentiâ indomitâ abrepti contra eam peccent, responsuri tamen essent, si interrogarentur, an talia pati vellent? se talia pati nolle.

Specialiter autem notanda sunt verba: NEMO IGNORARE PERMISSUS EST, UT ESSET, UNDE JUDICARENTUR &c. Si enim ignorantia legis naturalis esset invincibilis, verè dici non posset; QUAM NON SINITUR IGNORARE, NEMO IGNORARE PERMISSUS EST, &c.

Dices: Ista S. Augustini Testimonia respiciunt tantum præcepta secundæ tabulæ, quibus bene disponimur erga proximum; sed hoc non obstante sustineri potest, invincibiliter ignorari ab aliquibus posse

posse præcepta primæ tabulæ , quæ præscribunt, quomodo Deus sit amandus, & colendus, cum Deum esse , invincibiliter ignorari possit ; ac proinde legem naturalem, prout in Deo existit ; imo prout & in homine, cum hæc, ut notatum fuit supra, illius sit participatio, & consequenter à taliter ignorantibus nullum omnino posse committi peccatum secundum doctrinam S. Augustini, qui lib. 2.2. cont. Faust. c. 27. *peccatum factum, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam Dei, quæ lex secundum eundem est ratio, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans* : sed invincibiliter ignorantes, Deum esse, nihil possunt facere, vel dicere, vel concupiscere contra illam Dei rationem & voluntatem , cum illam, ex supposito, cognoscere non possint ; ergo &c. quibus addi potest illud lib. 12. de Civ. D. c. 9. *Malam voluntatem non facit, nisi defectio, quâ deseritur Deus* : sed ab invincibiliter ignorantibus Deum, non potest Deus desereri ; ergo. Quod autem taliter Deum ignorantibus dentur, videtur concludi posse ex Apostolo dicente , Philosophos Gentiles fuisse inexcusabiles, quia *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt &c.* ex quo videtur sequi eos , qui Deum non cognoverunt, fuisse per invincibilem ignorantiam excusabiles.

Respondeo primò negando majorem ; & oppono illud S. Augustini lib. de decem Chord. c. 10. *Si homini non feceris , quod pati non vis ab homine , ad*  
*proxi-*

proximi præceptum pertinet, ad dilectionem proximi, &c. Si autem, quod non vis pati ab homine, ipsi Deo vis facere, quid est hoc? nonne facis alteri, quod pati non vis? Charior tibi factus est homo quàm Deus. Ego quomodo injuriam facio, inquis, ipsi Deo? corrumpis teipsum. Et unde injuriam facio Deo, quia corrumpo meipsum? Unde facit tibi injuriam, qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam, in qua tabula imago tua est in domo tuâ inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns? Si quis illam lapidet, nonne in te esse contumeliam factam attendis? Cum verò imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes, & per diffluentias libidinis ----- non attendis, per libidines & illicitas fornicationes, cujus imaginem violasti? Ex illo igitur supra citato generali præcepto, non solum deveniri potest in cognitionem legis naturalis dictantis, quomodo sit diligendus proximus, sed etiam quomodo sit diligendus & colendus Deus, & utriusque tabulæ præcepta ita cum isto principio cohærent, ut hæc ignorari invincibiliter nequeant, si illud taliter non ignoretur.

Respondeo igitur secundò, negando subsumptum, & probationem ejus; & oppono doctrinam S. Augustini lib. 1. de Doct. Christ. ubi postquam S. Pater cap. 7. dixerat, illos qui per intelligentiam pergunt videre, quod est Deus, omnibus eum naturis visibilibus, & corporalibus intelligibilibus etiam, & spiritualibus, omnibus muta-

bilibus præferre: nec quenquam inveniri posse, qui  
 hoc Deum credit esse, quo melius aliquid est. Sub-  
 jungit cap. 8. Si non viderent, id est vitam in-  
 commutabilem, ut ante dixerat, sive illam, quæ  
 non aliquando desipit, aliquando sapit, sed est  
 potius ipsa sapientia, nullo modo plena fiducia vi-  
 tam incommutabiliter sapientem commutabili vita  
 anteponerent, ipsam quoque regulam veritatis, quæ  
 illam clamat esse meliorem, incommutabilem vident.  
 Nec uspiam, nisi supra suam naturam vident, quan-  
 doquidem se vident mutabiles. Nemo est enim tam  
 imprudenter insulsus, qui dicat; Unde scis incom-  
 mutabiliter sapientem vitam mutabili esse præferen-  
 dam? Idipsum enim, quod interrogat, unde sciam,  
 omnibus ad contemplandum communiter atque in-  
 commutabiliter præstò est. Et hoc qui non videt, ita  
 est quasi cæcus in sole, cui nihil prodest ipsis lo-  
 cis oculorum ejus tam clara ac præsentis lucis sul-  
 gor infusus, qui autem videt, ac refugit, con-  
 suetudine umbrarum carnalium invalidam aciem  
 mentis gerit. Per hanc enim doctrinam satis  
 patet, secundum Augustinum invincibiliter  
 ignorari posse neque Deum, neque legem na-  
 turalem de eo diligendo & colendo, pro-  
 ut in eo existit, & in homine à Deo im-  
 pressa; sed posse tam in hoc quàm illo vi-  
 deri, quid sit agendum, vel omittendum,  
 nisi aliquis oculos claudat. Quod confirmari  
 potest ex lib. 14. de Trinit. cap. 15. ubi ait  
**S. Pater: Domini autem Dei sui reminiscitur**  
 (sub-

(subintellige mens hominis.) Ille quippe semper est, nec fuit, & non est, nec est, & non fuit; sed sicut nunquam non erit; ita nunquam non eras, & ubique totus est. Propter quod ista in illo & vivit, & movetur, & est, & ideo reminisci eius potest.----- nam hinc est, quod etiam impii cogitant aternitatem, & multa recte reprehendunt, recteque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis judicant, nisi in quibus vident, quemadmodum quisque vivere debeat, etiamsi nec ipsi eodem modo vivant? Vbi eas vident? Neque enim in sua natura, cum procul dubio mente ista videantur, eorumque mentes constet esse mutabiles, has vero regulas immutabiles videat, quisquis in eis & hoc videre potuerit: nec in habitu sua mentis, cum illa regulae sunt justitiae, mentes vero eorum constet esse injustas. Vbinam sunt istae regulae scriptae? Vbi, quid sit justum, & injustum agnoscit, ubi cernit habendum esse, quod ipse non habet? Vbi ergo scriptae sunt, nisi in libro lucis illius, quae Veritas dicitur? Vnde omnis lex justa describitur, & in cor hominis, qui operatur justitiam, non migrando, sed tanquam imprimendo transfertur, sicuti imago ex annulo & in ceram transit, & annulum non relinquit. Qui vero non operatur, & tamen videt, quid operandum sit, ipse est, qui ab illa luce avertitur, a qua tamen tangitur. Qui autem nec videt, quemadmodum sit vivendum, excusabilius quidem peccat; quia non est transgressor cognite legis: sed etiam

ipse splendore aliquoties ubiquè presentis veritatis attingitur, quando admonitus confitetur.

Ad locum Apostoli Respondeo cum S. Augustino Epist. 105. Ideo divina eloquia eos inexcusabiles dicunt, qui non ignorantes, sed scientes peccant, ut secundùm iudicium superbia sue, quo multum confidunt de viribus propriae voluntatis, se inexcusabiles videant, quia de ignorantia jam non habent excusationem, & nondum est iustitia, cui præsimebant sufficere voluntatem. Et lib. 1. de adulter. Conjug. cap. 9. Simili locutione usus Iacobus Apostolus ait; Scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illi. Nunquid ideo non peccatum est illi, qui nescit bonum facere, & ideo non facit? Vtique peccatum est, sed hoc gravius, si etiam sciat, & non faciat.

Manet igitur verum, secundùm allegatam S. Augustini doctrinam, id, quod supra assertum fuit, videlicet hominem non erraturum circa legem naturæ, iudicando bonum esse, quod est malum in particulari operabili, si non ab illâ luce aversus, consuetudine umbrarum carnalium invalidam mentem gereret; sive si à seipso non exularet, corque suum fugeret, applicando se ad alia, & sequendo passiones, & inordinata cordis sui desideria. Liberè enim amplectitur errorem, qui, si non sequeretur impetus vitiosorum habituum & passionum, posset formare contrarium iudicium



dicium practicum ex regulis æternæ Veritatis, & sibi impressis, quas videre potest, possetque se doctiores consulere, & sapientiam petere à Deo, Qui, ut S. Augustinus ait lib. de nat. & grat. cap. 17. dat omnibus affluenter, utique his omnibus, qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo, & quantum res tanta petenda est, juxta illud lib. 3. de lib. arb. cap. 19. Nulli homini ablatum est scire, utiliter querere, quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendum esse imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille subveniat, qui nec errat, dum subvenit, nec laborat.

Probatur secundò: si in aliquibus invincibilis esset ignorantia legis naturalis, illi essent excecati, sed tales secundum Augustinum in nullo statu laborarunt ignorantia invincibili; ergo in nullo homine usu rationis polente datur ignorantia invincibilis Juris naturalis. Probatur minor: imprimis per ignorantiam invincibilem legis naturalis non fuerunt excusati homines tempore legis naturæ ante promulgationem legis Mosaicæ secundum Augustinum; neque tempore dictæ legis, ut colligitur ex sequentibus locis. Primò dicit S. Pater lib. 3. cont. Julian. cap. 12. Nonne audis, quemadmodum detestetur Apostolus quosdam, quos dicit alienatos à vitâ Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis eorum; sed non fuissent

fuissent ita detestabiles, ob ignorantiam invincibilem, cum hæc secundum S. Augustinum excuset à peccato, ergo. Secundo ait lib. 1. ad simpl. qu. 1. Legem, id est, naturalem Decalogi, ad hoc datam esse, non ut peccatum infereretur, neque ut extirparetur, sed tantum, ut demonstraretur, quo animam humanam quasi de innocentia securam ipsa peccati demonstratione ream faceret. Quibus significat S. Doctor, illos, qui ante legem Mosaicam ita excoecati erant, ut putarent se esse innocentes & securos de innocentia, fuisse reos ob violatam legem naturalem: ergo non agnovit in illis ignorantiam invincibilem juris naturalis. Et de Judæis ait in Exposit. cap. 3. Epist. ad Galat. Lex ostendebat peccatum esse, quod illi per consuetudinem coecati possent putare justitiam. Ecce dicit, peccatum fuisse contra legem naturalem ab illis etiam Judæis, qui ita erant excoecati per consuetudinem, ut existimare possent, id quod revera peccatum erat, esse justitiam, ergo &c. Quibus adde illud lib. 1. oper. imperf. cap. 47. Cæcitas enim cordis, si peccatum non esset, injustè argueretur: arguitur autem justè, ubi dicitur, PHARISÆE COECE, & aliis plurimis divinorum eloquiorum locis. Eademque rursus cæcitas, si peccati pœnâ non esset, non diceretur; Excoecavit enim illos malitia eorum. Quod si Dei justo judicio non veniret, non legemur; Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum

dorsum eorum semper incurva. Quod autem tempore legis Evangelicæ nemo possit dici ob excecationem per ignorantiam excusari, patet ex loco supra in notabili allegato; quia præcepta illa naturalia secundum Augustinum nos magis obligant, quam Ethnicos & Judæos, ob majorem excellentiam præmii nobis promissi, ut ibidem S. Augustinus innotuat, & ob sublimiorem statum sub lege gratiæ, quæ, ut S. Pater ait lib. de spir. & lit. c. 27. *Imaginem Dei, in quâ naturaliter conditi sumus, instaurat in nobis.*

Pro hujus doctrinæ confirmatione facit etiam locus supra §. primo ad probandum, ignorantiam invincibilem non excusare à peccato, ex Epistola 105. objectus, videlicet hic: *Per hoc, inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui judicat, sive qui non judicat, quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est.*  
**IN IIS AUTEM, QUI NON POTUERUNT, POENA PECCATI; ERGO IN UTRISQUE NON EST JUSTA EXCUSATIO, SED JUSTA DAMNATIO.**  
Possent & alia adduci Augustini Testimonia, sed hæc sufficiunt:

Objicies primò: Juxta supra notata, quædam præcepta legis naturalis sunt particularia,

& conclusiones deductæ ex universalioribus; sed multi homines inepti sunt ad deducendum tales conclusiones, utpote tam rudes & indisciplinati, ut vix à brutis discrepare videantur; ergo hi saltem invincibiliter poterunt ignorare legem naturalem, & excusari, si ejusmodi conclusiones practicas non deducant, dum est operandum, & concludant contra legem.

Respondeo; Nullum hominem usu rationis pollentem esse tam rudem, & hebetem, ut impressam sibi legem naturalem consulere, & monentem audire non possit, & in ea videre, quid sit agendum, aut omittendum in particulari operabili, si oculos non claudat liberè, ut patet ex dictis, & pro confirmatione servire potest, quod dicit S. Augustinus serm. 44. de diversis, cap. 6. *Iustitia præstò est justè viventi: secundùm eius regulam videt, quemadmodum justè vivat, & sicut justè bene vivendo eam vident, ita injusti male vivendo eam non vident: nam & ille justè vivit, cum eam videt, ut secundùm eam actus suos dirigat, quia nisi secundùm justitiam regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur.* Et lib. 2. de lib. arb. cap. 16. *Va qui se avertunt à lumine tuo & obscuritati suæ dulciter inhaerent! Tanquam enim dorsum ad te ponentes in carnali opere, velut in umbra sua desiguntur.*

Insta-